

Scultetia in villa Slawsko episcopo Wladislaviensi adiudicatur.

Nos Hector iudex Ciaviensis, universis presentem paginam inspecturis volumus esse notum, quod cum Petrus de Kosciol rusticus, venerabilem in Christo patrem dominum Sibibatum episcopum Wladislaviensem coram nobis super scultetia in Slawsko traxisset in causam, tandem dominus episcopus idem, post multas propositiones ex exceptionibus hinc inde propositas, terminoque recepto ad probandum sufficienti testimonio videlicet bannito iudicio, docuit et probavit reverendissimum in Christo patrem dominum Matthiam felicis recordationis suum predecessorem, à Veneslao quondam sculteto dictæ ville Slawsko, eandem scultetiam pro certa pecunie quantitate sibi et suis successoribus comparasse, nos tunc pro tribunali sedentes, de consensu et consilio nobilium virorum et dominorum Moscieronis palatini et capitanei, Alberti palatini, Pasconis Brzestensis, Sebastiani Cusoviciensis castellanorum, et subiudicis Ciaviensis, eidem domino episcopo dictam scultetiam in Slawsko et ipsius successoribus adiudicavimus, et presentibus adiudicamus, perpetuis futuris temporibus possidendam, tenendam et habendam, prefato Petro rustico super dicta scultetia perpetuum silentium imponentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum

et

et datum in Crasswicza in terminis generalibus feria
tertia infra octavas Corporis Christi, anno Domini
millesimo trecentesimo sexagesimo octavo.